Par M. Lieblin, chir. de S. A. S. M. le margrave d'anspach.

Uxori unius ex famulitio Principis Sereniss. Onoldino-Baruthini aulico inferioris ordinis, nomine Rösch, nunc 32. annos natae, quinque abhinc annis accidit Friesdorfii, ubi cum marito suo adhuc degebat, ut difficulter pareret et, quod sexus sequior hac occasione saepissime experitur, hernia inguinali, et quidem a dextera ventris parte, laborare inciperet. Licet, quoties ex hoc tempore grauida fieret, mensibus quibusque prioribus ingentes pateretur dolores, partim ex obstructionibus, partim exinde natos, quod, viribus ad aluum exonerandam vehementer intensis, loco suo excederet ruptura, hanc tamen maritum suum perpetuo celabat, idque eo magis, quod nemine adjuuante eam posset suis ipsa viribus in locum pristinum reprimere. Sub fine anni superioris 1784. cum septimum inde ab inito matrimonio concepisset infantem, post octauam hebdomadem aluus magis, quam unquam antea,

obstrui ac vix et ne vix quidem tertio quoque die parumper solui. Sedibus nonnisi difficillime peractis, ruptura denuo excedere, omnemque operam datam, ut eam, prout antea factum erat, retorqueret, aegrotans perdere. Die Calendas Decbr. sequente, quum ad eam vocatus essem, atque inspecto inquisitoque malo herniam incarceratam detexissem, ante omnia venam curabam secandam, additis clysteribus ex herba Nicotiana factis, nec non fomentationibus adplicitis, et rupturam, si fieri posset, reponere tentabam. Loco remediorum internorum praecribebantur antiphlogistica, temperantia pp nec tamen haec ullum dabant lenimentum aegrotae, cujus venter potius praeter modum ad scrobiculum usque cordis adeo inflabatur, ut quolibet fere momento cernere posses inflationis, quam necessario nexu sequebantur anxietates, incrementum.

Flatus, naturae via relicta, per os quaerere exitum. Vomitus crebiores sequebantur, qui ex materia faeculenta naturali constabant semperque unius modii plenitudinem superabant. Finito quolibet vomitu dolores paululum mitigari, quod vero parum diu durabat, mox semper redeuntibus prioribus symptomatibus. Quae cum ita essent, auctor denique fui die IV. Dec. faciendae incisionis, quam etiam, consentiente aegrota, hora II. pomeridiana ita felici, non tamen sine Numinis supremi auxilio praesentissimo, aggressus sum successu, ut intra dimidiae fere horae spatium tota operatio esset peracta.

Intestinum et particula omenti, magnitudinis manus convolutae, vehementer erant ac spasmodice contracta, ita, ut absque praecauta annuli dilatione intestinum, quod non solum admodum erat inflammatum, verum excrementis etiam flatibusque turgescens, haud facile posset retorqueri.

Operatione finita, et una hora post clystere adplicato, modo dicta symptomata nondum cessare. Aegrota viribus plane destituta, arteriarum pulsus debilis erat, anxietasque et spirituum difficiles ductus magis magisque increbescebant, adeo, ut nocte proxima subsequente iam in eo esset, ut de vita miserae tantum non desperaretur. Nec dum ipso die V. et VI. Decem. melius cum illa agebatur, quippe quae multos flatus eructabat, vomitibus adhuc angebatur viribusque destituebatur. Die modo laudato VI. Dec. tres ei adplicabantur clysteres. Dierum sequentium haec fuit ratio:

Die VII. Decembr. post clysmata pridie adplicita alvus bis terve solvebatur, qua etiam flatus nonnulli viam sibi rursus aperiebant. Dolores paululum mitigabantur.

Nox diem VIII. antecedens requiei aliquid concedebat aegrotae, quae tribus etiam sedibus permagna

exonerabatur excrementorum copia. Mox tamen de vehementioribus subter stomachum rursus conqueri compressionibus binique vomitus edi.

IX. ejusd. flatibus rursus magis distendebatur, quos sequebantur anxietates, compressiones subter ventriculum vomitusque frequentes. Clysmatum adplicatione nonnulla quidem requies efficiebatur, nec tamen hoc diu durabat.

X. conspicere poteras in vulnere obligando haud ita parvam evaporationem aquosam, qua vehementissime urebatur aegrota praetereaque totum crus desuper ad pedum digitos usque haud minus torquebatur cui tantus sese adjunxit horror febrilis, quantus est, ubi pes in aqua rigida consistit. profecto et tumor aquosus in eo detegebatur, qui post tertium demum diem residebat, simulque horror ille post XII. horas minuebatur. dies

XI. eandem habuit cum antecedentibus rationem. Aliquot post clysteribus adpli-

catis alvus tandem paululum rursus solvebatur. Ex vulnere, quod suppurare parumper incipiebat, ingens excrementorum copia prorumpebat magnaque pars intestini sese separabat. Die

XII. angor anxietasque, nec non compressio subter ventriculum vehementior fere fuit, quam unquam antea, quae post alterum tamen tertiumve vomitum paululum mitigabatur, clysterium adplicabatur, quod post unius horae spatium sequebatur Abortus, totumque Ovulum, in quo Embryo perspicue apparebat. Magna impuritatis copia, quae perpetuo ex vulnere profluebat, hoc in toto suo ambitu inflammabatur atque arrodebatur, unde et aestus ardorque quem aegrotans in eo vehementer sentiebat. Die

XIII. Symptomata pedetentim cessare. Venter inflatus subsidere. post clysteres adplicitos sedes semper consequi. Excrementorum

per vulnus profluvium so-
lum modo continuabatur.
Die
XIV. - usque ad XVII. cum qualibet
hora melius agebatur cum
aegrotante. Somnus quie-
tus revertebatur vulnusque
optimam alebat spem. Mo-
do excrementorum profluvium
adhuc durabat, donec et hoc
XVIII.° mirum quantum diminue-
batur, tandemque
XIX. penitus una cum reliquis
symptomatibus cessabat,
vulnusque ita, ut oculis fe-
re conspicere posses, claudeba-
tur. inde a
XX — XXVIII. nihil mutabatur.
cum quotibet die firmiori
valetudine frui incipiebat
aegrota, ita ut denique die
XXIX. post leve impositum brache-
rium lectum relinquere, et
quoniam ad hunc usque diem
optima fruitur valetudine,
rerum domesticarum curam,
ut antea, gerere rursus pos-
set. /

~~[illegible]~~

n°: 20. bis operation du bubonocele faite a une femme grosse